



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 95. An durante tali appellatione vel supplicatione subditi debeant
observare legem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

- 639 *Q. 95. An durante tali appellatione vel supplicatione, subditi debeant observare legem.* R. Si lex servari possit sine magna rerum mutatione vel periculo scandali, *Suar.* Suprà putat observandam esse, quia certò possidet, & excusatio est dubia: idem tenent *Va'q. Lorca, Garc.* teste *Leur.* p. 3. q. 370. n. 5. Consentit *Castrop.* d. 1. pu. 13. n. 14. E contra *Bonac. Salas, Rodrig. Gran. Steph.* tr. 2. d. 1. dub. 3. *Honor. Fabri* & alii apud *Moyam* in sel. t. 6. d. 1. q. 1. n. 16. putant obligationem suspendi, quia ita habet usus & praxis, neque ideo puniuntur subditi, si interea non observent; sicque præsumitur de benignitate Ecclesiæ, uti cum *Less* & *Carden.* dictum est n. 592., sicque etiam conveniebat, ut gubernatio Ecclesiæ & Reip. sit suavis ac humanæ imbecillitati attemperata, uti innuit *Ills.* tr. 1. d. 2. n. 5.
- 640 *Q. 96. Si Superior audita appellatione vel supplicatione taceat, an hoc ipso censeatur revocare legem.* R. Affirmativè, alioquin tenebatur legi infiltrare & his non obstantibus urgere eam, ita *Bonac. Salas* & *Castrop.* d. 1. p. 13. Excipe, nisi aliunde satis colligeretur, quòd taciturnitas esset per modum repulsæ aut indignationis, tum enim potiùs firmaretur lex.
- 641 *Q. 97. An lex alioquin invalida per hoc fiat firma, quòd subditi eam acceptent.* R. Si invaliditas fuit ex eo, quòd aliquid præciperetur contra jus subditorum, si hi postea liberè acceptando efficaciter cedant illi juri suo, fiet firma, uti patet: notatque rectè *Gob.* receptionem legis cujuscumque fieri posse per solum usum: è contra si invaliditas fuit ex eo, quòd legislator excederet suam potestatem, uti si laicus Princeps præcipiat Missam die non festivo, quamvis populus legem acceptet, non fiet firma, quia præcipiens nec habuit, nec per illam acceptationem acquirit